

## DE CODICIBUS AESCHYLI.

Codices Aeschyli, quotquot adhuc collati sunt, omnes ex uno eodemque fonte fluxisse, ex eo maxime perspicuum est, quod eadem lacunae in omnibus comparent, quodque corruptissimo quoque loco easdem fere corruptelas exhibent omnes. Nec tamen communem hunc fontem cum Burgessio praef. ad Suppl. Annotat. p. 41. crediderim Mediceum codicem esse, satis multa enim habent reliqui libri, in quibus ab eo discrepant, multa etiam, quibus ei praestant. Sed haec utut sunt, agmen ducit et antiquitate et praestantia excellens

### 1. Med. Mediceus

Florentiae asservatus in Bibliothecae Laurentianae Plut. XXXII, 9. seculi decimi, ut perhibent, quo usus est P. Victorius. Contulit eum in Needhami usum Salvinus; varias lectiones ab eo notatas ex Needhami schedis descripsit Askewius, et Askewianis usus est Buttlerus. Alteram collationem ab eodem Salvinio confectam, et margini exemplaris editionis Stanlejanae adscriptam adhibuit Blomfield. Cum Mediceo in omnibus fere consentit

### 2. Ph. Phil. Philelphianus

in Bibliothecae cujusdam Florentinae Plut. XXXI, 1. asservatus, et ab eodem Salvinio collatus. Hunc vero aut eundem esse cum Mediceo, aut accuratissimum ejus apo-